



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Antonii Bynaei de Calceis Hebraeorum Libri Duo**

**Bynaeus, Anthony**

**Dordraci, 1682**

Hugonis Grotii argumentis fit satis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12835**

re, ac sobole defuncto fratri excitanda, etiam ad cæteros agnatos aut gentiles productam fuisse, quo argumento adstruet, cum ubi lex ea à Mose sancitur fratres tantum nominentur & intelligantur? Cum etiam frater tum istic, tum alibi, proprio vocabulo vocetur **יָרֵם**, & **גַּאֵל** notet redemptorem, unde constabit de agnato dici **גַּאֵל** de fratre **יָרֵם**? Conjecturam enim viri illustris nullo testimonio vidi probatam.

VII. Sed & illud verissime Abarbanel animadvertit detractionem hanc calcei non esse detractionem illam cujus lex in Deuteronomio meminit, cum Rutha ipsa non venerit in portam, aut exuerit calceum, aut inspuerit in faciem. Rogat quidem vir illustris Hugo Grotius: *Excalceatio nonne hic plane ut in Deuteronomio?* Sed miror unde viro illustri hoc venerit in mentem, cum omnia sint diversissima. In Deuteronomio vidua defuncti jubetur leviro, qui nuptias recusabat, calceum exuere. Hic ipse *o dēiva* calceum exuit: Quin Rutham non exuisse calceum *τῆ dēiva* vel ex eo manifestum est, quod

quod in eo iudicio, ut supra monuimus, non adfuisse videatur. Ut plane alius sit ritus quam qui in Deuteronomio legitur. Nam qui recusabat demortui fratris uxorem ducere, id non testabatur exuendo calceo, sed ipsa mulier hac ignominia levirum afficiebat, ut ipsi detraheret calceamentum. In Deuteronomio inspuerè in faciem lex viduam iubet. At hic nulla ignominia affectus legitur *o deivæ*, quæ tamen Deus præceperat levirum affici, cui calceus extrahebatur, si recusaret defuncto fratri suscitare nomen. Quare cum hoc necesse fuerit, si ex lege in Deuteronomio lata hæc agerentur, & omnino non factum sit, longe alium ritum debemus agnoscere. Fingere enim, quod nonnullis placet, constitutum fuisse ut mitius in hoc negotio cum agnato ageretur, quam cum fratre, quia jure naturæ & vinculo ac necessitudine sanguinis frater magis fratri obligatus est ad præstanda officia, quam agnatus agnato, plane frivolum est, & nullo idoneo authore nititur.

IX. His addimus, nihil in tota histo-

historia narrari de leviratu. Non enim de fratre, qui ducit vel respuit defuncti fratris uxorem, agitur, sed de propinquo, cui jus aut officium erat redimendi hæreditatem. Manifeste id innuit narrationis series, quæ non agit de renuntiatione personæ, sed de acquisitione rei. Calcei quæ memoratur solutio, alia longe ratione refertur, quam ut pertineat ad illam legem. Nihil aliud enim innuitur, quam ritum fuisse solemnem, qui ab antiquis temporibus inoleverat, quo utebantur veluti formula cessionis de jure, & traditionis aut acquirendi dominii. Quid aliud hæc verba indicant? *Obtinuit olim in Israel, in redemptione & in permutatione, ut firmaretur negotium: extraheret homo calceum suum, & daret proximo suo, eratque hoc testimonium in Israel.* Post quæ statim sequitur: *dixit igitur redemptor ad Boaz, posside tu, & extraxit calceum.* Etenim hæc verba satis ostendunt non ad cerimoniam in Deuteronomio imperatam hanc calcei extractionem referendam esse, sed ad veterem quandam & solemnem traditionis

P

ditionis